

296.
(36.)

bolus, inde implorato precibus auxilio Divino, fide, aliisq; armis spiritualibus, ei resistendum est, i. Petr. 5, 8. *Diabolo resistite fortes fide, Jac. 4, 7. Resistite Diabolo & fugiet a vobis, Eph. 6, 11. seqq. Induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli &c.* certa successus felicis fiducia, Rom. 16, 20. *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.*

LVI. *Paradoxa sunt, quæ ex Kabbalistis & Platonicis, Hermetici & Paracelsistæ tradunt de Spiritibus cœlestibus secundariis, aëreis, aqueis ac terrestribus, ex subtilioribus elementorum suorum essentiis productis. Cœlestes nuncupant Intelligentias & Salamandras, quod in igne conserventur: & quos fingunt alios Solares, alios Lunares, alios Saturninos, alios Joviales, alios Venereos, alios Martiales, alios in Stellis fixis reperiundos: ex quorum influxu, hominum mores & actiones regantur & disponantur. Aëreos esse Orientales, Occidentales, Meridionales, & Septentrionales: ac secundum aëris regiones, esse supremos, medios & imos: Aqueos appellant Nymphas ac Syrenes: Terrestres Sylphes & Pygmeos &c. quæ ex Henr. Nollio refert Wendingin. Syst. Theol. Th. 12. p. 363. & consentiunt fere cum iis, quæ R. Abrab. Cohen Irira, e dogmatibus R. Iizchac Lorjensis, affert, Tom. 2. Kabbala Denud. Tractat. Pnevmat. Dissert. 1.c.5. ubi §. 6. p. 216. ex libro Schaaare Orach R. Joseph Gecatilia concludit his verbis: *Sciendum, quod a terra usq; ad firmamentum locus non detur vacuus, sed omnia plena sint catervis & agminibus, quorum alia sunt pura, alia autem infra illa, quæ sint creature impura nocentes & accusantes, quæ omnes consistant & volent in aëre. nec desunt hodie qui huc referunt locum Eph. 2, 2. Secundum Principem potesta. tis aëris. it. Colluctatio nobis est adversus Principes mundi rectores tenebrarum seculi hujus, contra Spiritualia nequitiae, in cœlestibus. vide Grotium in Eph. 2, 2. add. Ps. 104, 4.**

LVII. Nos pro præsidio Angelorum Deo grati, in omni angulo veneremur nostrum Angelum, abstinentia ab operibus quibus offenditur non solum Angelus, sed & Angelorum Creator DEUS! qui est doctrinæ de Angelis

: F I N I S.

Col. Dis. A 184, misc 13